



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XXXIV. De Precibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

TITULUS XXXIV.

DE PRECIBVS.

I. **P**reces sunt aliquot Versus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes à *Kyrie eleison*, vel à *Pater noster*.

II. Preces Dominicales ad Primam & Completorium, ut in Psalterio, non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas, nec in Vigilia Epiphaniæ, & Feria sexta & Sabbato post Octavam Ascensionis, etiamsi infra Octavam fiat Officium de Dominica vel alio Festo Semiduplici, quia tunc ratione Octavæ non dicuntur; aliàs autem semper dicuntur.

III. Preces FERIALES ad Laudes, & per Horas distinctæ, ut in Psalterio, dicuntur tantùm in Ferijs Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejnantur (exceptâ Vigiliâ Nativitatis, ac Vigiliâ, ac Quatuor Temporibus Pentecostes) & tunc dicuntur flexis genibus. In alijs Ferijs per annum nunquam dicuntur, nisi Dominicales, & in illis non flectuntur genua.

IV. In Ferijs Adventûs, Quadragesimæ, ac Quatuor Temporum dicuntur Preces FERIALES etiam ad Vesperas, si non sequatur Festum: ad Completorium dicuntur consuetæ de Dominica, sed flexis genibus. Dicuntur autem Preces flexis genibus ab Hebdomadario usque ad Versum *Dominus vobiscum* ante primam Orationem, à Circumstantibus autem usque ad Versum *Benedicamus Domino* post ultimam Orationem.

V. In Vigilia Preces FERIALES dicuntur tantùm ad Matutinum & per Horas; ad Vesperas verò sequen-

tes non dicuntur, quia inde fit de Festo. Quod si post Vigiliam S. Matthiæ sequatur primus dies Quadragesimæ, in Vesperis dicuntur Preces Feriales, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, & non Vigiliæ. e. Quod etiam servatur, quando in Feria sexta & Sabbato Quatuor Temporum Septembris in Officio fit de Feria, cum in eis non occurrat Festum novem Lectionum; tunc enim in Vesperis Feriæ sextæ dicuntur Preces, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, non autem Feriæ Quatuor Temporum.

E. Nam quia hæc dies prima Quadragesimæ seu Cincrum est privilegiata, Festum S. Matthiæ in diem proximam non impeditam transferendum est.

VI. Psalmus *Miserere* dicitur cum Precibus ad Vesperas tantum, & Psalmus *De profundis* ad Laudes. In Officio Defunctorum dicuntur Psalmi, qui in eo Officio signantur. f.

F. Sed tunc tantum, quando non dicuntur tres Nocturni, ut notat Gavantus l. 9. c. 2. n. 3. ex Rituali Romano.

TITULUS XXXV.

DE COMMEMORATIONIBVS COMMUNIBVS seu Suffragiis Sanctorum.

I. **C**ommemorationes communes g. seu Suffragia de Sanctis, quæ habentur in Psalterio post Vesperas Sabbati, dicuntur in fine Vesperarum & Laudum ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusivè, & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusivè in Dominicis, Ferijs, & Festis (nisi Officium sit Duplex, vel infra Octavam, etiamsi de Dominica, vel de Semiduplici infra eas fiat) & illis adjungitur commemoratio de Pa-